

*tius in me suscepi pertractandum, quo certius est, vix unicum inveniri posse morbum, quem non varii jam dudum speciminis loco inauguralis sibi sumserint explicandum, ex decem haud raro Practicorum scriptis, opusculum aliquod undecimum consarcinantes. Tuo itaque L. B. sese sistunt Conspectui sequentes De Sympatheticis Morborum curationibus Medico rationali indignis & illicitis meae meditationes. Nolim autem expectes hic exasciatum aliquod, omnemque hac de re dicendam materiem comprehendens opus, sed cogites, intra Dissertationis Academicæ limites circumscribi non posse, quæ spissum satis sibi exposcere poterant Volumen. De his præmonitus, lege, si placet, quæ sequuntur, & si quædam invenies ad palatum facientia tuum, mecum consentias, sin autem, quæ stomachum tibi facere possent, consilio utaris, quod supposito, ut, quæ legis, procul a te remoueas, meliora uero his mecum quamprimum communices.*

DE